



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 53. Saxoniae Elector præsidium Lutherò a se præstitum excusat

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](#)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1520.

§. LIII.

*Saxoniæ Elector præsidium Lutherò  
a se præstitum excusat.*

Tam crebræ, quibus Lutherus peteba- *Sleidan. in  
tur, accusationes tandem etiam Ro- comm. l.2.  
mæ ejus fidem suspectam reddebat, in p. 51. & 60.  
deque omnes, qui eum protegere crede-  
bantur, offensionem incurrebant. Hos  
inter, cum præcipuus esset Elector Sa-  
xoniæ, qui aliunde Romani Pontificis  
gratia indigebat, impensum Lutherò pa-  
trocrinum, cuius postulatus est, excusare  
cogebatur. Ergo die prima Aprilis Va-  
lentino Deitleben Procuratori suo datis  
literis negotium dabat, ut summo Ponti-  
fici hæc significaret, quod nunquam Lu-  
therum defendisset, nec doctrinæ ac li-  
brorum ejus patrocinium in se suscepis-  
set, cum ejusmodi caussæ ipsius fori  
non essent: equidem prosequitur Elector,  
hic Monachus cum applausu Doctorum  
prædicavit, ac palam docuit, comparuit  
etiam coram Papæ Deputatis, necnon  
revocationem scripto promisit, si ex S.Li-  
teris errorum convinci posset; præter  
hanc submissionem ab eo quid amplius  
jure exigi possit, haud video, nihilominus  
ex Saxonia excedere paratus fuisset, nisi  
illum Miltzius Nuncius Apostolicus de-  
tinuisset: hinc spero, quod ex his coram  
Sancti-*

**Secul. XVI.**  
A.C. 1520.

Sanctitate sua impactum patrocinii crimen satis superque diluerim, proin obstacula, quæ Romanam caussæ meæ decisionem retardabant, submoverim: de cetero jamjam datis ad Gregorium Cardinalem literis contestatus sum, quantum alienus sim ab illis erroribus, quorum liberam in ditione mea prædicationem induluisse accusor, Lutherus autem ab Eckio, aliisque vehementius, quam par erat, exagitatus fuit, unde timendum, ne ejusmodi altercationes graviora provocent mala, nullum vero supersit remedium, quam ut ejus doctrina per valida argumenta, ac claros Sacri Codicis textus erroris convinceretur, non vero tempus fallendum esse puto censuris; eas enim nonnisi graves in Germania tumultus non sine Pontificis dispendio suscitas prævideo.

### §. LIV.

*Lutherus ab Augustinianorum capitulo sese submittere jussus.*

*Pallavicin.  
hist. Conc.  
Trid. I. I c. 14*

Cum interea Elector ita pro Luthero peroraret, Miltizius Sedis Apostolicus Nuncius FF. Eremitarum S. Augustini comitia, quæ tum in Saxonia celebrabantur, accessit, rogans, ut congregati Patres Lutherum ad obedientiam auctoritate sua compellerent. Ergo illi quantocius